





QK. 300.

v Leubnitz

Zc
3697

21
GENEROSISSIMI DOMINI
DN. ANTONII
de **LEVBNITZ,**

Maximi Parentis

PERILLVSTRIS ac GENEROSISSIMI DOMINI
DOMINI

CAROLI HENRICI
De **LEVBNITZ,**

Dynastae Münchenbernsdorff. & Venusbergenfis,
Potentissimi Poloniarum Regis ac Electoris
Saxonum Ministri, Summique Venatio-
num Praefecti

Domini ac Maecenatis sui omni pietatis cultu

submissis Deuenerandi

FILII

Natu Minoris

In Academiam Leucoreensem

DISCESSUM,

Qui, iactante humaniorum litterarum fundamento d. X. Octobr. MDCCXXIII
bonis auspiciis fiebat, piis verbis prosequatur

M. CHRISTOPHORVS KRETZSCHMARVS,
Alumn, Sch. Cruc, Regens.







Domine Generosissime,



Emestre temporis elapsum est spatium, ex quo Nobilissimum Baſtinellerum Leucoream ad studia, quae mirum in modum amat, curatius excolenda, discedentem, precibus piisque verbis, argumento ſcriptionis tum temporis a lingua Latinae cultura, quam contra iniquas maleferiatorum calumnias defendebam, deſumto, officioſe ac peramanter proſequebar. Idem iter cum TV quoque, **GENEROSISSIME LEVBNITZI**, ad animum optimis diſciplinis imbuendum, in praesentia mediteris, permittas quaeso, ut veſtigiis tum preſſis iam inſiſtens, non ſolum de ſtudiis, hocque elegantium litterarum ornamento, verbosius edifferam, ſed etiam prae ceteris ſpem utique ſummam, quam patria, quam orbis eruditus, quamque omnes boni de excellenti, qua polles, dexteritate, ac maximo in litteras fervore, fauſtis ominibus concipiunt, decenti ratione exponam. Vtrum generoſorum Juuenum

A 2

ani.

animis, qui eo annuntur, ut in futurum a Principum sint latere ac salutis publicae incrementa salubribus consiliis promoueat, studia in primis humanitatis, quae uocantur, litterae, ac eruditorum vernaculae cultura conueniant expediantque, ardua est quaestio, quam multi non sine ratione mouere, motamque negare uidentur. PRO-COPII uerba allegant contententis, *multum abesse a uirtute litteras, & senili institutione deiici plerumque & ad metum incuruari indolem: Theudericum solitum dicere. Fieri non posse, ut qui didicissent flagra extimescere, ad contemptum eustum hastarumque exsurgerent.* Nobiles enim, pergunt, cum teste TACITO in bello sint praesidium, in pace decus, commodius salubriusque ad palaestram, circum, Martisque Gradiui strepitum, quam ad Musarum silentium ablegari, ac melius uergetam libertatem, quam magistrorum minas eorum alere animos euincere fatagunt. Quam obrem studia in primis litteras elegantiores, ac linguarum, in quas eruditi incumbunt, notitiam a Nobilium instructione abesse iubent, doctoresque, qui ipsis uiam ad ea ducentem pandunt, uoce barbara nimis, (barbare enim loqui tantum didicerunt) Pedanteriae insimulantes. Utrum itaque a Nobilium dignitate bonis se tradere litteris, Latinaeque linguae indefessis laboribus operam nauare sit remotum: nec non, utrum artium magistrum, qui ad has exercitationes ipsos manibus quasi ducunt, criminis a litterarum contemtoribus ficti sint inculcandi, paucis, pace TVA, DOMINE GENEROSISSIME, dispiciam. Scopum hunc sibi dignitatis equestris iuuenes habent praefixum, ut illustri olim positi loco, Principum sint a consiliis, nec solum comites armati latera eorum tegant, sed etiam pietatis atque salutis publicae vindices ac statores tum belli tum pacis tempore se exhibeant. Quemadmodum enim



enim Romae olim equites, LIVIO teste, Senatus existebant Seminarium, quia lecti ex iis Senatores constitutique: Ita quovis fere tempore Principibus vsu fuit receptum, vt ex honestissimo Nobilium censu eligerent, quos haberent amicos, suorumque participes consiliorum. Magno agmine ALEXANDRI Macedonis exemplum Principes sequuntur nostri, quem Nobilibus gentis suae praecipua belli pariter ac pacis munia demandasse ex CVRTIO passim, aliisque rerum ab eo gestarum scriptoribus cuius constat. Quod Principum institutum etsi non desint, magnam ciuiliū rerum peritiam sibi tribuentes, qui omni ex parte calculo suo comprobare addubitent, ab eorum tamen partibus stare omnino mihi rem curatius pensitanti ob varias causas, quas in praesentia allegare nostri haud foret instituti, dubius semper pendit animus. Quod si itaque Nobilissimo cuique, ad praefulgentem dignitatis splendorem arbitrio Principis euecto, grauissima pacis bellique negotia, quae ad maximarum saepius regionum salutem atque incolumitatem pertinent, feliciter atque ex publico commodo sunt peragenda & tractanda: Inprimis litterarum ac eruditionis praesidium, quo se muniat, atque defendat, ipsi necessarium existere euictum esse mihi videtur. Rerum equidem publicarum nonnunquam fuisse gubernatores vsu atque experientia tantum edoctos, rebus qui bene praefuere suis, vtut litterarum destituti fuerint munimento me non praeterit; Id quod inprimis de PHILIPPO COMINAEORERUM testantur monumenta, quippe qui litterarum penitus expers, rerum tamen publicarum insignem moderatorem, ingenii robore doctrinarum defectum supplente, se praestiterit. Quamvis vero res ita sit comparata, aliorumque satis comprobata exemplis, rariora tamen eadem praestant;



stantissimisque tantum ac Diuinis quasi ingeniis propria, atque hinc a paucissimis, aut nemine potius esse imitanda, qui in dubium vocet, fore neminem sum persuasus. Tanta enim rerum Politico, quem vocant, expediendarum cum existat varietas, quam optime magnus **CONRINGIVS** aliique dedere descriptam, ineffabilem ingenii vim ad eas inueniendas diiudicandasque requiri contendo, adeo vt vsus siue experientia, quam quis ex rerum tam ab ipso, quam ab aliis antea gestarum copia hausit, ad necessariam in hac parte sapientiam sibi comparandam minime videatur mihi sufficere. Quae omnia multi perpendentes cum **BOECLERO**, vsum non tam constituere, quam consummare potius rerum publicarum administrum, obseruant contenduntque. Peruulgata veterum Graecorum est sententia:

*Διπλῆν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα,
Dupliciter vident, qui didicerunt litteras.*

Quid quaeso aliud his innuere voluerunt verbis, nisi viro bonis litteris imbuto exornatoque duplicem sapientiae ac prudentiae patere fontem? Multa quidem eundem ab experientia vsuque, sed plurima ab artibus petere posse atque haurire subsidia. Quam ob rem tum artium studia, tum vsum atque experientiam, amico hic vinculo connexa esse expediet, adeo vt artes, primas suppeditantes futuro Politico doctrinas accedens tandem experientia perficiat ac sic peritissimum rerumque satagentem suarum constituat Reipublicae praefectum. Idem hoc est, quod **PLATO** sapientum facile Princeps in suis de Republica libris inculcat, cuius verba a veteribus mirum in modum laudata sic se habent: Εὰν μὴ ἢ οἱ Φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσαι φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ
ἰκα-

ικανῶς, καὶ τὲτο εἰς ταυτὸν ξυμπέση δύναμις τε πολιτικὴ καὶ Φιλοσοφία, τῶν δὲ νῦν πορευομένων χωρὶς ἐφ' ἑκάτερον αἱ πολλαὶ φύσεις ἐξ ἀνάγκης ἀποκλεισθῶσιν, ἐκ ἑστὶ κακῶν παῦλα ταῖς πόλεσιν, δοκῶ δὲ εἰδὲ τῶ ἀνθρωπίνῳ γένει:

MARSILIUS FICINVS haec verba sic transtulit:

Nisi vel Philosophi ciuitatibus dominantur, vel hi, qui nunc reges potentesque dicuntur, legitime sufficienterque philosophentur, in idemque ciuilis potentia & philosophia concurrant, neque (quod nunc fit) a diuersis duo haec tractentur ingeniis, non erit ciuitati, vel, ut mea fert opinio, hominum generi requies ulla malorum.

Fac proinde, non neminem sibi magnam peperisse rerum gerendarum notitiam, modo magistra vsum experientia, eum tamen, artibus si animum mature applicuisset, multo maiores sibi opes ad res commodius magisque proficue tractandas, ac varios ob litterarum absentiam admissos errores facillime declinandos sufficientes comparaturum fuisse, ex iis, quae iam diximus, patebit. Quam ob rationem nemo irascatur mihi, me Nobili ad Rempublicam adspiranti litterarum commendasse delicias, inprimis, cum & istud addere res ipsa me iubeat, veram nobilitatem in virtute animique consistere ornamentis. Vulgus quidem hominum non nobilitatem ex virtute, sed virtutem ex generis nobilitate praepostere aestimans, eandem in fumosis majorum imaginibus, magnis diuitiarum cumulis ac numerosa praediorum multitudine collocare, non ignoro. At sapientissimus quisque mecum illam **SENECAE** sententiam approbat: *Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt & nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima aedium collocant, noti magis, quam nobiles sunt.* Minime is sum ego, qui generis nobilitatem spernat repudietque. Ab
illu-

illustribus prognatum esse maioribus, magnum Summi Numinis est beneficium, ingensque, quo plebeios antecel-
lunt nobiles, ornamentum, at tum demum viuudum ac
quasi animatum, quando vera animi ornamenta, virtutis
vtpote ac bonarum litterarum accedunt. Id quod haud
ignorauit **IUVENALIS** Poëta, qui hanc ob causam ce-
cinit:

*Tota licet veteres exornent undique cerea
Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus.*

Egregie hac de re egit **ZIEGLERVS** im **Schauplatz**,
Praef. cujus verba loci angustia circumsepti hic allegare
noluimus. Quae cum ita se habeant, tantum abest vt cum
Theuderico Nobilibus ad Rempublicam olim admouendis
artium disciplinas dissuadeamus, vt potius easdem illis
omni, qua fieri potest, ratione, commendatas velimus.
Istud fatemur & nos, flagris interdum ad metus incuruari
animos, cum e contrario iucunda ludorum equestrium va-
rietate iidem antea abjecti & humiles saepius erigantur ac
corroborentur. At enim vero quemadmodum & nos Or-
biliarum quorundam peruersam iuuenum, inprimis gene-
rosi sanguinis, animos formandi rationem, qui tantum fla-
gris in eos debacchantur, summo improbamus opere, ac
eos potius ad armenta pascenda, quam adiuuenes artibus
instruendos esse natos idoneosque arbitramur: Ita nec
eum, qui artium vtilitatem rite ponderat, inepti quorun-
dam mores, sinistre artes docentium, ab hoc doctrinarum
comparando sibi ornamento, quo futurus rerum Ciuilium
gubernator nequaquam carere potest, absterrebit, sed vt
his mature occurrat difficultatibus, defectumque quavis
ratione, vel relegato ad stabula magistro tali emendet,
omnem

omn
net,
fanu
poti
tisq
ter
verl

Nec
tore
tis
culo
dira
HO

De
faci
um
abl
run
bili
gna

omnem nauabit operam. Ipsas vero ad artes quod attinet, animos eas ad metum depressos abiectosque efficere sanus asseret nemo, cum dextre in iis exercitatos quilibet potius videat erectos obfirmatosque. Saeuitia asperitatisque nota artium studia mortalium animos liberare, praeter rem ipsam experientia confirmatam testantur Poëtae verba, canentis :

*Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.*

Nec tamen imbelles effoeminatosque reddunt Musae cultores suos, magnum potius ipsis animum vitaeque praesentis atque omnis calamitatis contemptum suadentes ac inculcantes. Rectius LOLLIVM suum artes vti cupiditate ita timore pauoreque animum liberare edocuit HORATIVS, ita canens:

*Inter cuncta leges & percunctabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aenium:
Ne te semper inops agitet vexetque cupido:
Ne pavor & rerum mediocriter utilium spes:
Virtutem doctrina paret, naturane dones:
Quid minuat curas? &c.*

De ceteris separant atque diuellunt artium osiores ea, quae facillime possunt debentque coniungi. Juuenilem Nobilium aetatem ab artibus remotam ad palaestram, circumque ablegant. At quare Nobilis simul & artium cultor & ludorum equestrium aestimator, esse nequit? Frequentet Nobilium globus palaestram circumque, in arte saltandi, pugnandi, equos gubernandi, & quae sunt reliqua, corporis
B
agi-

agilitatem, roburque mirum in modum iuuantia, se exer-
 ceat, tantummodo artium culturam, quae animum non
 minus exornat, quam confirmat, ne penitus auerfetur.
 Ad arctissimum inter haec duo vinculum haud dubie vete-
 res respexerunt, Mineruam bonarum artium ac sapientiae
 Deam casside, lorica, seuto, ac lancea instructam fingendo.
 Commode enim sub hoc symbolo docere potuerunt, *sapi-*
entis animum, CICERONE teste, non modo exornatum
 esse ac *septum magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum,*
contemptione fortunae, virtutibus denique omnibus, sed etiam No-
 bilissimum quemque & animi & corporis exercitia vna
 debere sectari, eo allaborantem, vt mentem litteris, corpus
 vero exercitatione corroboret. Quae si rite instituuntur,
 futurum tunc habebis heroem & toga & sago longe celeberrimum.
 Haecenus pace TVA, DOMINE GENEROSIS-
 SIME, summorum virorum personis haud indignas, sed
 quam maximo potius emolumento esse litteras asserui.
 Quibus vero euctis me non minus quam plurimorum as-
 fensum facile obtenturum confido, probare conantem, La-
 tinae linguae culturam ac ceteras, humanitatis quae vo-
 cantur, litteras pari sic ratione generosis necessarias esse
 iuuenibus. Haud ita pridem in Epistola ad Bastinellerum
 data Latinae linguae eruditorum in toto terrarum orbe
 dissipatorum vernaculae cultura doctrinae famam aucu-
 pantem nequaquam carere posse verbosius demonstraui-
 mus. Quam sententiam cum sapientissimus quisque habeat
 ratam, nec in praesentia missam facimus, istudque orna-
 mentum futuro quoque rerum publicarum gubernatori
 admodum conuenire quauis ratione contendimus. Quo-
 niam vero iam breuitatis esse iubemur studiosi, aliis silen-
 tio praetermissis, hoc vnum, vt sententiam nostram prae-
 stemus

stemus sarram tectamque, in subsidium vocamus. Inter omnes videlicet constat notitiam rerum gestarum, ex doctorum monumentis, quae temporis vetustas ad nos transmissit residua, haustram, esse fundamentum, ac quasi animam omnis prudentiae ciuilibus. Exinde enim Reipublicae moderator, quae sint eligenda, quae vero vitanda, qua ratione ac quam caute circumspecteque negotia sint peragenda, & quae sunt reliqua, addiscit. Liceat haec notitiae rerum gestarum commoda LIVII potius, quam meis describere verbis: *Hoc, inquit, illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: Inde tibi tuaeque Reipublicae, quod imitere, capias: Inde foedum inceptum, foedum exitum, quod vitas.* Cui sententiae POLYBIUS, Auctor elegantissimus, suffragatur, scribens, ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παρθεῖαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐν τῆς ἰσορίας μάθησιν. ἐναργεστάτην δὲ καὶ μόνην διδάσκαλον τῆς δόξας τὰς τῆς τύχης μεταβολὰς γενναίως ὑποφέρειν, τὴν τῶν ἀλλοτρίων περιπετειῶν ὑπόμνησιν: **IS. CASAVBONO** interprete: *Verissimam quidem institutionem esse ac praeparationem ad capeendam Rempublicam doctrinam illam, quae ex historia paratur: magistram vero unicum eamque praesentissimam, ut possit aliquis fortunae mutationes generose sufferre, alienorum casuum recordationem.* Quod si vero tanta huius scientiae necessitas existit ei, qui rebus publicis rite cupit praesse, vna euius est, linguarum & Latinae imprimis nec non aliarum humanitatis litterarum notitia neminem posse carere, qui sibi res antea gestas reddere familiares allaboret. Qui enim in monumentis veterum euoluendis cum successu versabitur, qui linguarum est expertus, cum plurima in iis maxi-

me in Latina sint consignata? Et qui linguae huius notitiam sibi tribuet ille, qui rituum apud gentes receptorum cognitione destituitur, cum eorum vestigia in omnibus fere elucescant versibus? Vno verbo: Litterarum, quae humanitatis nomine veniunt, expers, vti in nullo, ita nec in hoc studiorum genere vel ad mediocrem tantum assurgat notitiam, quia mediis ad eam perueniendi est priuatus. Futurus itaque Politicus, qui vulgo appellatur, eruditionis sit cupidus, huic vero fundamenti loco linguarum notitiam praefruat, sic ad commoda Reipublicae vere promouenda se reddet idoneum. Quod consilium, dum sapientiores Nobilibus in animum reuocant, minime exigunt, vt tricis ac contentionibus Grammaticorum, de litteris ac apicibus tanquam pro aris & focis saepius mirum in modum digladiantium, at vero nil nisi nugas apinasque crepantium, implicentur. Quemadmodum enim linguae notitia ad eiusmodi litterarum syllabarumque dimensionem, quae maxima ex parte in scenam otiose producitur, neutiquam est restringenda: Ita ii, qui iuuenes in linguis instruunt, omnes viarum anfractus euitantes recta rem ipsam aggrediuntur, adeoque nec Pedanteriae, quam vocant, opprobrium ad eos potest applicari. Veram huius criminis vt obiter haec moneam, descriptionem mihi videtur dedisse Auctor Anonymus libelli: *Logique ou l'art de penser*, cuius verba a RECHENBERGIO in Latinam translata linguam, quia vitii huius exprobrationem quiuis fere hodie crepat, me non poenitet hic addere, scribentis: *Pedanteria vitium ingenii est, non professionis; & in quocunque vitae genere, conditione & statu eodem infectos reperias. Paruas nulliusque pretii res extollere, scientiae suae vana ostentatione laborare; Latina Graecis sine iudicio mixta proferre; incallescere super ordine mensum Graecorum, non minus quam*
super

*super habitu veterum Macedonum, superque aliis huius farinae rebus futi-
libus; conuitiis laceffere auctores, aut ignominiose traducere eos, quibus
non eadem mens nobiscum est circa explicationem loci ex Suetonio, aut cir-
ca Etymologiam alicuius vocabuli, non aliter, ac si Religionis ac Reipubli-
cae in hoc versaretur periculum; in eum, qui non satis Ciceronem existi-
masse videtur, ut in perturbatorem tranquillitatis publicae, quicquid est
mortalium excitare, uti quondam Scaliger in Erasmus insurrexit; par-
tes denique cuiusdam obsoleti Philosophi non minus acriter, quam si amici
sanguine coniunctissimi res ageretur, defendere, ea vero vera Pedanteria est.*

Quod si vero in eo Pedantismi consistit crimen, artium ini-
mici id viris, qui elegantiores docent litteras, imputare de-
finant, caueantque, ne potius ipsi illius iure possint re-
dargui. Ex iis, quae adhuc sunt dicta, tum eruditionem
in vniuersum consideratam, tum seorsim humaniores quo-
que litteras nobilitate generis florentibus, maxime iis, qui
in Republica publicis muneribus praeesse annuntur, in-
signiori esse emolumento colligo. Id quod sane quam plu-
rimi Saxoniae nostrae Nobiliorum curatius perpenderunt:
Quam obrem tot superiorum temporum ex eorum ordi-
ne habemus decora, quae a litteris, in quarum studia ma-
xima incubuerunt opera, ingentem reportarunt gloriam,
suo alios exemplo ad coniungendum cum gentis nobilita-
te litterarum ornamentum impellentes excitantesque. Nisi
plagularum angustia, prae ceteris vero TVA, DOMINE
GENEROSISSIME festinatio ad Musarum sedem ple-
no quasi cursu properantis mihi silentium imponerent, pos-
sem iam verbosus esse in describendis, quae a Nobiliorum
dexteritate nacta est patria nostra, commodis, cum adhuc
Miltziorum, Pflugiorum, Bünauiorum, Einsiedeliorum,
Frisiorum, Schönbergiorum alicorumque, qui eruditionis

fama Misniam maiorum nostrorum tempore illustrarunt, merita, vnusquisque in recenti teneat memoria. Laudes eorum quanquam breuius, attamen satis luculenter, celebravit B. RECHENBERGIVS in Schediasmate de Nobilitate Misniae Litterata. Cuius laborem si cui animus est continuare, satis amplum scriptionis argumentum vel praesentia ipsi suppeditabunt tempora. Habet enim & nostrum aeuum suos Bünauios, Zechios, Looffios, Schoenbergios, aliosque, quos publicae rerum administrationi admotos, litterarum subsidio, quarum ornamentis sunt conspicui, optime communi saluti consulentes, maximo cum gaudio videmus. Quorum vestigia, cum & TV DOMINE GENEROSISSIME fauste auspiciatoque premas, non possum non TVVM ad superiores Scholas discessum piis iam prosequi verbis. Mirificum enim litterarum cultorem, tanto easdem amore prosequentem, vt in multam adeo noctem earum studia protrahere quotidie TIBI placuerit, TE praebuisti. Quoties adhuc TE conueniendi mihi copia est facta (facta est autem, qui TVVS in me fauor, singulis diebus) admodum non solum singularia animi dona, sed etiam indefessam litteris impensam operam sum admiratus, siquidem semper aut scribentem aliquid, aut legentem, veterumque monumenta diurna versantem manu, versantem nocturna, vt HORATII vtar verbis, inueni. De IVLIO PFLVGIO, qui eruditionis fama illustrem stirpis dignitatem admodum exornauit, scribit in epistola quadam FABRICIVS: *In Iulio vero omnia illustriora sunt ornamenta industriae, prudentiae, grauitatis, doctrinae, vitaeque eius quasi imago quaedam est praecleari viri & rari atque singularis ingenii.* Quae iste de Episcopo iam sene praedicauit, ea in TE iuue-
ne

ne adhuc coniunctim fere tempora nostra deprehendunt. Ingenii animique dotibus TE superiorem vidi neminem: Et si vel maxime iis non nemo TE vinceret, industriae palmam nullus TIBI praeripiet: Inde tanta iam doctrina, quanta rarius in hanc aetatem cadit. Prudentiae vero grauitatisque ornamenta, quibus isto quoque aetatis flore exsplendescis, prouectiores anni magis magisque confirmabunt, reddentque illustriora. Alia itaque TV mente es, quam vulgus hominum, qui litteras a Nobilium personis alienas iudicant: TV enim praecipuo TIBI eas existimas decori esse, & cum iis omnia, quae Nobilium ordo amat, corporis exercitia, adeoque & peregrinarum linguarum notitiam adiunxeris, vel TVO quoque exemplo omnia haec commode coniungi docuisti. Macle hoc animo, hacque virtute, GENEROSISSIME DOMINE. Gratulor patriae nostrae, quippe ad quam rum ingens praesidium, tum ornamentum insigne a dexteritate TVA eruditionisque fama proficiscentur: Gratulor & ILLVSTRISSIMAE GENTI, magno eruditionis decore stemma exornaturae: Maxime PERILLVSTRIPARENTI bona verba acclamo, filium innumeris ingenii, eruditionis famaeque donis celebrem amplectenti: Gratulor & mihi, cui non nulla quoque (quamuis eadem fuerint leuiores) ad hanc animi culturam conferre licuerit: Certe enim sum persuasus, me eodem, quem adhuc artium habui alumnum, proxime dignitatis amplificatore vsurum. Vade itaque GENEROSISSIME LEVBNI-TZI, in virtutis doctrinaeque stadio strenue curre, ad summa dexteritatis dignitatisque fastigia certe annifurus. Summum Numen piis deueneror precibus, vt saluum atque

7c 3697 OK

que in columem TE non solum per annos superioribus Scholis destinatos, sed plurimos quoque insequentes tueatur ac corporis animique dona adaugeat, quo incredibilem patriae, PARENTIS, omniumque bonorum de TE conceptam spem opinione celerius possis adimplere. De ceteris me quoque absentem in futurum, TVO fauore TVOque patrocinio dignum iudica, ac meos litterarum conatus TVO praesidio adiuva. Dabam Dresdae VII. Id. Octobr. MDCGXXXII.

DRESDAE,
Litteris CRVSIANIS.



AC



bus
uea-
lem
TE
De
ore
rum
e

ULB Halle

3

004 979 435





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



v Seubnitz

ISSIMI DOMINI
ANTONII
LEVBNITZ,

Maximi Parentis
AC GENEROSISSIMI DOMINI
DOMINI
ALII HENRICI
LEVBNITZ,
enbernsdorff & Venusbergensis,
oniarum Regis ac Electoris
stri, Summique Venatio-
am Praefecti

enatis sui omni pietatis cultu
misse Deuenerandi

FILII

Natu Minoris

nam Leucoreensem

DISCESSUM,

terarum fundamento d. X. Octobr. MDCCXXVI

s fiebat, piis verbis prosequeretur

HORVS KRETZSCHMARVS,

nn, Sch. Cruc, Regens.

Zc
3697

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALES)

